

Aequalis casus occurrit in patriarchatu latino Constantinopoli, ubi Patriarchae inde ab a. 1261 usque ad 1652 jurisdictionem per vicarios patriarchales a se deputatos exercebant.<sup>27</sup> Dicto vero a. 1652 decretum fuit »super unione vicariatus constantinopolitani cum suffraganatu ejusdem«. Amodo patriarcha (qui ceteroquin Constantinopoli non residebat) loco vicarii a se nominati, habebat suffraganeum episcopum titularem a Sede Apostolica missum, qui subscribebatur: »... suffraganeus et Vicarius Apostolicus constantinopolitanus«.<sup>28</sup> Similiter ac supranominati gaudebat potestate sicut ordinarii in propria dioecesi.<sup>29</sup>

Aliter res evolvebatur cum Vicariis Apostolicis in regionibus, ubi nulla dioecesis praecedebat, sed noviter in regione territorium aliquod in vicariatum erigeretur. Hic jam initio Vicarii Apostolici, non ut administratores dioecesis, sed in nova et independenti forma juxta ordinarios dioecesanos apparent. Semper, exceptis rarissimis casibus, insigniti sunt charactere episcopali.<sup>30</sup>

De his Vicariis Apostolicis non eadem principia valent sicut de supra dictis. Romani Pontifices et S. Congregatio nolunt ipsos in eandem lineam cum episcopis ordinariis ponere, sed directe eos a S. Congregatione dependentes esse voluerunt. Ideo non existebat aliqua norma uniformis in nominatione et distributione facultatum hujusmodi Vicariis. Cum a. 1669 primi Vicarii Apostolici Asiae Orientalis qua-

<sup>27</sup> Lemmens L., *Hierarchia latina Orientalis 1622—1922*, Mediante S. Congregatione de Propaganda fide instituta, 270—271.

<sup>28</sup> I d e m , o . c . 271.

<sup>29</sup> De hujus Vicarii Apostolici potestate sic se exprimit Benedictus XIV die 15 Aprilis 1742: »Vicarius Apostolicus patriarchalis episcopali dignitate insignitus ordinaria utatur jurisdictione cum omnibus et singulis facultatibus, quas S. Tridentinum Concilium tribuit locorum ordinariis tamquam Sedis Apostolicae delegatis«. *Archivum Prop.*, Acta 1837, v. 200, f. 252. Hic ponens exhibit textum ad demonstrandam plenam jurisdictionem ordinariorum Vicariis Apostolicis in olim existentibus dioecesibus. P. Lemmens ostendit in respectivo documento agi solum de facultate concessa ad triennium. Cfr. o . c . 271—272. Quidquid sit, pro scopo nostro satis aperit mentem S. Congregationis de distinctione inter Vicarios Apostolicos diversarum regionum.

<sup>30</sup> Grentrup, Das Amt der Apostolischen Vicare nach Natur und Rechtsinhalt, *Zeitschrift für Missionswissenschaft*, XVI (1926) 177 ss.